



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. LVI. Miserere mei Deus, quoniam, &c. Carm. gen. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Me tui, rector bone, spes fauoris  
Certa fouebit.

PSAL. LVI. *Miserere mei Deus, quoniam,*  
*etc. Carm. gen. 6.*

O Rbis creator me bonus aspice,  
Iniurioso quem pede prorutum  
Hostisq; conculcat, premitq;  
Assiduis agitans periculis.  
Conculcat hostis me numero ferox,  
Et insolenti sæuitia premit.  
Nec liberas lucas laborum,  
Nec uacuas finit ire noctes.  
Seu luce terror sollicitus mihi,  
Seu nocte circumstat, pater optime,  
Spes rebus in duris mihi una  
Et columen superas salutis.  
Te fretus uno, pollicitis tuis  
Innixus unis, nec metuum dolos  
Mortalium cæcos, minasq;  
Terrificas & aperta bella.  
Calumniantur quæ loquor omnia,  
Præuaq; carpunt facta libidine:  
Huc conferunt omnem laborem, ut  
Exitium mihi moliantur.  
Cætusq; cogunt, & capiti meo  
Quæ fraude, quæ ui iugiter imminent:  
Vestigia obseruant, nec horam  
Inidijs uacuum relinquunt.  
Impunè tantam nequitiam ferent?  
Præuiq; fructum consilij legent?

O arbi-

Orbiter mundi, nec illos  
 Præcipites agis in ruinam?  
 Meæ labores tu numeras fugæ:  
 Vrna repostas tu lacrymas meas  
 Seruas: apud te certa constat  
 Vsq; mei ratio doloris.  
 Aurem uocanti tu facilem mihi  
 Das, atq; inanes spes facis hostium:  
 Et signa non obscura amici  
 Das animi, & stabilis fauoris.  
 Te fretus uno, pollicitis tuis  
 Innixus unis, nil metuum dolos  
 Mortalium cæcos, minasq;  
 Terrificas & aperta bella.  
 Te semper ergo carmine patrio  
 Laudabo, vitæ præsidium meæ:  
 Ex hostium ferro dolisq;  
 Incolumis tibi uota reddam.  
 Te liberatus uindice, te meum  
 Firmante gressum, ne titubent pedes,  
 Dum spiritus fouebit artus,  
 Iussa sequar tua, rector orbis.

PSAL. LVII. *Miserere mei Deus, misere-  
re mei: &c.* Carm. gen. 2.

SAncte parés miserere animæ pereūtis, & om-  
 In te salutis quæ locauit spē luæ: (nem  
 Meq; tuis alis tectum defende, procellæ  
 Dum sæuientis impetus deferueat.  
 Te uoco, te solum in rebus quod restat egenis  
 Appello, supplex & tuam imploro fidem.

Te